

D. Thomas
h̄c duas ra-
tiones af-
fert ex cau-
sa efficien-
te, ex possi-
bili & im-
possibili de-
promptas.

cundum, quia nihil est aliud: ex quibus manife-
stò sequitur aliquid concedendum esse, quod non
sit ab alio, & hoc est Deus. Quæ D. Thomas cla-
rius exprimit, dum per causam efficientem Deum
esse probat.

Quæ facta sunt, quæque videmus, vel sunt à
seip̄s omnia, vel tantum quædam, vel ab alio; à
se esse nequeunt, alioqui cur tot imperfectiones
involuerent, igitur ab alio: & hoc aliud, vel ite-
rum est ab alio, vel à se, si ab alio, tandem in uno
stare debemus, quod sit à se, qualis est solus Deus.
Quò ferè reducitur alia ratio S. Doctoris, quā ex
necessario, atque possibili ita deducit. Inuenimus
in rebus quædam, quæ sunt possibilia esse, & non
esse, cùm quædam inueniantur generari, & cor-
rumpi, & per consequens possibilia esse, & non
esse. Impossibile est autem omnia, quæ sunt talia
semper esse, quia quod possibile est non esse, quan-
dóque non est. Si igitur omnia sunt possibilia non

esse aliquando nihil fuit in rebus. Sed si hoc verum
est, etiam nunc nihil est, quia quod non est, non
incipit esse, nisi per aliquid quod est. Si igitur nihil
fuit ens, impossibile fuit, quòd aliquid inciperet
esse, & sic modo nihil est, quod patet esse falsum.
Non ergo omnia entia sunt possibilia, sed oportet
aliquid esse necessarium in rebus. Omne autem
necessariū vel habet causam suā necessitatis aliunde,
vel non habet, non est autem possibile, quòd
procedatur in infinito in necessariis, quæ causam
habent suā necessitatis, sicut nec in causis efficien-
tibus, alioquin enim non erit prima causa efficiēs,
& sic non erit nec effectus ultimus, nec causæ effi-
cientes media, ergo necesse est aliquid ponere,
quod sit per se necessarium, non habens causam
necessitatis aliunde, sed aliis sit causa necessitatis,
quod omnes Deum appellant. Iam verò creatura-
rum pulchritudinem aduocemus, ut Deum opt.
max. Atheis annuntient.

R A T I O X.

Deum esse, ex singularum creaturarum pulchritudine ostenditur.

Nilla res in orbe conspicitur, quæ proprius in-
tuentibus Deum esse clare non ostendat, quod tam ex dictis patet, si cuiquam creature applicen-
tur, quā ex dicendis; hinc sit ut Theodoretus ex-
siderum contemplatione, stupore meteororum,
elementorum consideratione, admirabilis corporis
humani strūctura, in quo nulla est pars, quæ non
authori suo luculentum ferat testimonium, ex ma-
num opificis, & artibus, ex hominis in belluas
imperio Deum esse probarerit, de quibus non
edifero, cum ea, quæstiones integras iure suo po-
stulant. Ex iis autem omnibus naturalis instinctus,
& communis ferè omnium sensus & persuasio,
nascitur, Deum aliquem esse, quod cùm omnes
sentiant, falsum esse nequit, ut monet Aristot. lib.
de diuin. per somnia, & 7. ethic. atque 10. nam

vt habet Tullius in Tuscul. consensus omnium **Tullius.**
gentium vox est naturæ, & quod ferè omnibus in-
dividuis alicuius naturæ semper, aut plurimum
conuenit, id est secundum naturam illius speciei,
illorumque individuorum, ut quod paucis, id ē
rarò contingit est præter naturam, cùm natura fe-
rè semper eodem modo operetur, ac proinde cùm
ferè Dei cognitio sit omnibus insita, idque omni
tempore, illa secundum naturam estimari debet:
quapropter illos humani generis monstra dixerim,
& errata naturæ nuncuparo, qui Deum esse nega-
uerint. Vide Lessum qui 4. argumentum fusè
de hac materia explicat, nōsque illud tangimus
alicubi, dum Atheorum obiectionibus respon-
demus.

R A T I O XI. XII. XIII. XIV.

*Deum esse probatur, ex lege naturæ immutabili appetitu nostro dissonantia,
concordia, & mundi gubernatione.*

Ratio 11.
Lex naturæ
immuta-
bilis Deum
esse probat.

Psal. 36.

Ratio 11. In nobis legem naturalem experi-
mur, quæ immutabilis est: at ea non potuit
nobis imprimi, nisi ab aliquo immutabili, igitur
ex iis per se notis vnum immutabilem concludere
debemus, ac per consequens Deum esse fateri ne-
cessere est; lex autem naturalis, quam in nobis ex-
perimus, est multiplex, quales sunt illæ. Alteri ne-
ficeris, quodlibi non vis fieri, & contra. Deinde Bo-
num est amplectendum, malum verò fugiendum, &c.
Vnde psalmus. Declina a malo, & fac bonum Psal. 36.
Quæ cùm immutabilia deprehendamus, vnde ob-
secro hanc sortiuntur immutabilitatem? non à se,
fuit enim tempus, quo nondum eras, & quo men-
te corpus tuum destituebatur, sine qua lex immu-
tabilis, de qua iam diximus, esse non poterat, cùm
menti inhærente debeat, quæ nondum erat. Igitur
aliquam huiusc legis, & omnium notionum, quæ

fatemur immutabiles esse, causam agnoscere de-
bemus, quæ sit immutabilis; quod enim est
in effectu, prius, aut nobiliori modo in sua cau-
sa repperitur, vt inductione constat. Hæc autem
causa neque aliquis alius homo, neq; mundi pars,
neque totus iste mundus spectabilis esse potest,
siquidem obnoxius est mutationi, quapropter ani-
mus ad aliquam causam toto mundo, & singulis
eius partibus excellentiorem erigendus est, quæ
omnia producat, quæcūmque hic immutabilacernimus.
Quod si dixeris omnia, saltem quoad ali-
quid, immutabilia videri propter aliquem certum
ordinem, quem inter se mundi partes obseruant,
tanto melius; hinc enim concludendum est vnam
esse rerum omnium causam, quæ rei cuiuslibet im-
mutabilitatis aliquid impertinet, quam Deum me-
ritò nuncupamus, cùm det omnibus, & ipse nullo
indigeat.